





DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IVRIDICA  
DE  
<sup>1758</sup>  
**VERIS CASIBVS** <sup>116</sup>  
**MATRIMONII PVTATIVI,**

QVAM  
PRAE<sup>S</sup>IDE  
VIRO CONSULTISSIMO,  
**ERNESTO CHRIST. WESTPHAL.**  
IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE,  
PATRONO ET PRAECEPTORE SVO  
PIE COLENDO,  
DIE XIX. APRILIS MDCCCLVIII.  
PVBLICE DEFENDET  
**IO. RUDOLPHVS LUDOVICVS PVRGOLD**  
PARCHEMIO — MAGDEBURGICVS.



IV.

HALAE AD SALAM  
LITTERIS IO. CHRIST. HENDELIL.

DIE SE CONSERVATATO TRANS FOR MA TRIMONIUM PATTALIUM  
AERIS CASIBAS

ERRENSTOCHRISTWESTPHAL

PATHONOE ET PRAFAGPTORE SAO  
PILE CORANDO

DIE XII. ATRHIS MODERATUR  
TRAFAGE, PREMINDAT

IORUDOPHUS LADOACAS LARGOOD

TACCHEMED - MADPPTALEGAY

ANA PAILAH  
TACCEZER OU CHESTE HENDELL



DISSERTATIO IVRIDICA

DE

VERIS CASIBVS MATRIMONII PVTATIVI.



PROOEMIVM.

§. I.

Haud temere ipsi marito curae connubiales tantum negotii facessunt, quantum iura matrimonii 1Cto sollicitudinum parant. Neque id mirum. Nullum enim est coniugii munus, a marito vñquam obeundum, in cuius partem non Iureconsulti quoque veniant. Nonne infantes, de gremio matris exceptos, aut sanguinolentes vendunt a)? aut lacte, saltim ad triennium b), instruunt?

A 2

struunt?

4

*Dissertatio iuridica*

struunt? Alimenta praebent; educationi prospiciunt, vietum cultumque largiuntur. Sponsam meditaris; modus ambiendi virginem & sponsalium ineundorum in scholis ICtorum traditur; rei familiari augmentum vel subsidiū e lauatori dote appetis; in hoc quidem eximia plane est eorumdem sagacitas: poenitet consilii in sponsa eligenda suscepiti, aut taeder vitae coniugalis inauspicato coepiae, iidem malo medicinam admouent, repudii aut diuortii caussas circumpisciunt, salutique miserum restituent. Et tanta quidem sapientia ab illis non e triuī forsitan hauritur, aut somniantium mentibus fortuito infunditur, sed ex iuris naturalis, diuini, Germanie Canonicī & Romani abditis & retrusis fontibus laboriosissime eruitur. Has rerum doctrinarumque copias inuit per aliquod tempus paullo diligentius excutere & delibare, idque studii genus hoc quoque, quod tractatum eo, iuris matrimonialis caput, de apto quodam disputationis arguemento meditanti imprimis commendauit. Eamdem quidem doctrinam iam HERTIVS c) fuse & data opera persecutus est, alii breuius rem expedierunt, vt BRVCKNERVS d) plurimique scriptorum, qui de matrimonii praeceperunt, qui omnes fere transeundo matrimonii putatiū mentionem iniiciunt. Nihilominus tamen eamdem materiam iterum sub limam & incudem vocare, subductis omnibus rationibus, inane non existimo, cum eam deceat omnino alia, quam perfunctoria ac festinatior, tractio, HERTIVS autem multa habeat, quae mutanda mihi videbantur, idque praecipue desiderari adhuc cernerem, vt exstaret certa ac definita matrimonii putatiū notio. Accedo itaque ad rem ipsam. Omnis disputatione tribus capitibus effet distingueda, quorum primum notionem & indolem matrimonii putatiū, secundum iura & obligationes ex eo proficentes, tertium denique dis-

solu-

solutionem eiusdem continere deberet. Verum cum pri-  
mum caput adeo sub manibus creuerit, ut solum integræ  
dissertationi sufficeret: haesi quasi in hoc scopulo, & reli-  
qua exsequendi consilium hac vice depositui. Erit forsan  
alio tempore de his dicendi locus.

- a) L. 2. C. de patr. qui fil. diskr.
- b) L. 9. C. de patr. pot. V. B. KNORRII Dissert. de Alim.  
a matrim. liberis praefandis, Cap. I. §. 15.
- c) Commentat. de matrim. putat.
- d) Decis. matrim. Cap. 30.

## TRACTATIO IPSA.

### §. II.

**M**atrimonium tam inter pontificios, quam euangeli-  
cos, in Germania est societas liberos procreandi causa,  
adhibita benedictione sacerdotali, inita.

Benedictione sacerdotali matrimonium a reliquis sexuum con-  
iunctionibus, quae matrimonii nomine non veniunt, distingui, si-  
que eam ad communii essentialia in Germania ex regula refe-  
rendam, nemo facile hodie inficias ibit. Primo enim ea vinuer-  
falis est ratio, vt, vbi quis coniuges aut dicit, aut audit, statim  
huius coniunctionis ecclesiasticas memoria animum subeat. Deinde  
vero eadem res ex iuris principiis facilis negotio demonstranda est.  
Non omnis, qua genus propagatur, societas matrimonium est, alias  
stupra, concubinaria vita, & reliqua, a matrimonio nihil distin-  
gent; inde ad coniugium praeter ea, quae ius naturae desiderat,  
aliud adhuc quidpiam, sive formam aliquam ciuilem, pertinere  
oportet. Iam queritur, qualis ea sit? Omitto ea matrimonii so-  
lennia, quae iure Romano prisco usque ad tempora Iustiniani per  
diuersas successionum vicissitudines obtinuerunt. Ex iure Romano  
nouissimo illud tantum depromo: ibi iam deprehendi cuiusdam for-

Dissertatio iuridica

mae specialis vestigia, qua matrimonium, deductio ad sacerdotem consilio, & adhibitis aliquot testibus, factis sine dubio precibus, & bona verba nuncupante sacerdote, ausplicari solenne erat *a*). Idem mos postea continuo seruatus a christiana republica, vt iam inde a septimo aeuo eam occupasset fere vniuersam *b*) Illa ipsa confuetudo Francorum quoque capitularibus expresse confirmata, Germaniae in primis facta familiarissima *c*). Nec minus dissertae ea de re in iure canonico decisiones exstant. Sic enim *c. l. C. 13.*  
*q. 5.* Aliter, inquit, legitimum non sit coniugium nisi — — —  
 „suo tempore sacerdotialiter, vt mos est, cum precibus & oblationib.  
 „nibus a sacerdote benedicatur. „ In eamdem sententiam respon-  
 des NICOLAUS I. ad consulta Bulgarorum *d*): Nostrates tam ma-  
 „res quam feminae — — quando nuptialia foedera contra-  
 „bunt — primum quidem in ecclesia Domini, cum oblationibus  
 „quas offerre debent Deo per sacerdotis manum statuuntur: sieque  
 „demum benedictionem & velamen coeleste suscipiant. „ Perua-  
 fere & orientem eadem principia, vt patet in verbis Leonis *e*): „Si  
 „quis circa hanc (sc. benedictionem sacerdotalem) matrimonium  
 „ineat, id ne ab initio quidem ita dici, neque illum inuita illa con-  
 „suetudine, matrimonii iure potiri volumus. „ Altas radices egit  
 ista doctrina, cum matrimonium ad sacramenta referretur, cuius ita-  
 que exordium non poterat aliunde, quam ab ecclesia, proficiendi. Licet  
 vero succedente tempore ius canonicum a se ipso haud parum disces-  
 serit, tribueritque suis de praesenti sponsalibus matrimonii vim & effi-  
 ciam *f*); ipsa tamen decretalium, quibus haec fancita sunt, verba  
 satis manifesto indicant, eas non nisi de vinculi, e sponsalibus praes-  
 entibus enati, robore statuere, quod resolutionis, vt in matrimonio,  
 expers esse iubet, caeteroquin autem prifcae regulae non derogare.  
 Nec astem tulerunt excitatae haec decretales, sed, vt inuisae, pede-  
 tentim in exsilium missa, tandemque per **C O N S I L I V M T R I D E N-**  
**T I N V M *g*** penitus antiquatae sunt. Vnde GONZALEZ *h*): Et si,  
 inquit, benedictiones nuptiales, non sint de essentia (sc. absoluta & na-  
 turali) matrimonii, tamen de iis recipiendis adest praeceptum (seu  
 iure canonico vt essentiale quid requiritur). Hactenus itaque expe-  
 ditum est: benedictione carere non posse matrimonium, inde ubi illa  
 exulat, ibi non esse matrimonium, ubi vero illa est, ibi coniuges ha-  
 beri. Sed quid ad haec Euangelici? Ab his retentum ius canon-  
 cum,

cum, vt regula fert, quatenus principiis fidei eorum non refragatur. Iam hic, tantum abest, vt aliquid fidei euangelicae aduersum dicti possit, vt potius & reipublicae inde multiplex salus, & pietati fomes sit. Vnde ad Euangelicos applicatio & in se iam intelligitur, & ex Ordinationibus eorum ecclesiasticis omnibus posset sigillatim demonstrari, si cui singulas excutere animus esset. Cordatus itaque est B. BOEHMERVS I. E. P. vbi benedictionem ad ipsam matrimonii constitutionem requiri, & bac deficiente, matrimonium non esse diuturnorem coabitationem, sed potius concubinatum, graviter pronunciat i). Fluunt alias plerique & praevaricantur, sibi que parum constant k), aut ipsis oraculis obscuriores sunt l), quando ad hanc questionem respondent. Horum ambiguitas & duplice fonte deriuari videtur: Primo mouent eos illi casus, vbi absque benedictione sacerdotis, modo adiunt sponsalia praesentia, matrimonium adiicit. Veram quoad hoc momentum & ad superiora eos remittimus, & inde quoque bonum animum habere iubemus, quoniam non distinguunt euangelici inter sponsalia praesentis & futuri temporis m). Deinde vero sibi timent, ne, si benedictionem necessariam esse ad matrimonium, & ad eius essentialia pertinere, dicant, cum CARPOZIO sentire videantur, qui cam iuris divini & naturalis esse, strenue contendit n). Verum ab hoc metu liberantur, si ob leges civiles tantum benedictionem, necessariam esse, siveque ad essentialia matrimonii ex arbitrio legislatorum relatam, cante statuant. Sic Principibus Germaniae euangelicis in suis territoriis & in terris catholicis ecclesiæ, hanc formam mutandi & tollendi arbitrium integrum est, sic ipsis Principes euangelici huic legi non ex iuris necessitate subiiciuntur, & nihil praeterea monstri alet sententia o).

a) Nov. 74. c. 4. §. 1.

b) V. H. Prof. REINHARDS Einleitung zu den Geschichten der christl. Kirche, siebentes Jahr. Hundert §. 37. V. quoque de Origine benedictionis sacerdotalis in nuptiis. GONZALEZ c. 1. X. de sec. nupt. n. 7. KAYSERI Dissert. de Orig. bened. sacr.

c) V. B. BOEHMER. I. E. P. L. 4. tit. 3. §. 25. Conf. L. LONGOR. Lib. 1. tit. 30. §. 15. L. WISIGOTH. Lib. 12. Tit. 3. §. 8-

d) c. 4.

## Dissertatio iuridica

- d) c. 4. C. 30. q. 5.  
e) Nov. 89.  
f) c. 9. 15. 22. 23. X. de sponsal. & matrim.  
g) Sess. 24. c. 1. de reform.  
h) l. c. in fin.  
i) l. c. §. 27.  
k) Ut BRUCKNER Dec. Iur. Matrim. c. 1. n. 57. coll. cum c. 2.  
n. 16. HAHN. ad Wesenb. tit. de Sponsal. n. 7. verba: Con-  
trarium Iure communi &c. coll. cum tit. de R. N. n. 5. ver-  
bis: Benedicente nubentibus.  
l) Ut PEPEZ ad C. tit. de nupt. n. 12. ubi ait, benedictionem ad  
bonitatem, non ad necessitatem, pertinere ita, ut omitti non  
debeat, sine ea tamen matrimonium contractum subsistat.  
m) B. BOEHMER. l. c. L. 4. tit. 1.  
n) Lib. II. Iurisprud. Consistor. def. 142.  
o) Videtur etiam inde benedictionis sacerdotalis necessitas valido  
argumento deduci posse; quoniam successit in locum ritus prisci,  
nuptialis instrumenta conficiendi, cit. Nov. 74. c. 4. §. 1.  
Qui cum ad matrimonii essentialia referretur & omisso concu-  
binatum, non iustas nuptias redderet §. 13. J. de Nupt. L. 10.  
& u. C. de natur. lib. Nov. 78. c. 3.; sequitur, vt idem de  
benedictione sacerdotali tenendum sit, quippe quae, vt surroga-  
tum, non potest non sapere naturam eius, cui surrogata est.

## §. III.

*Matrimonium* in se nullum, bona fide initum, dici-  
tur *putativum*. Est autem matrimonium *nullum*; quod  
effectus matrimonii non producit, & *in se nullum* nobis  
hic dicitur, quod, si absque bona fide consideres, nul-  
lum est, *bona fides* vero vocatur error, quo contra leges  
agens purat, se contra leges non agere.

Ma-

Matrimonii nullius definitio partim inde probatur, quod omnia in genere nulla dici consuerint, quae esse& & viribus destituntur, vt sententia nulla, testamentum nullum, vnde HARPPRECHT a) actus, inquit, est nullus, qui effectus iuris intentor consequi non valet; partim ex eo constat, quod matrimonium nullum Doctoribus dicitur id, quod nullum inducit obligandi efficaciam b), quod statim a initio non subsistit, & sic nec ullum vinculum continet c) &c. Notandum vero, interest multum, an in matrimonio nullo vias, an vero plane non vias in matrimonio. Non umbratilem esse hanc distinctionem ex iis, quae infra dicentur apparebit.

Bona fides a ICIS ei tribuitur qui rem alienam, a quoquam, cuius illam esse putauit, emtam, iterum alienat, vel qui merces peregrinas in prouinciam quamdam traducit, ibique vendit, ignarus legum prouinciae eius, quibus peregre merces adsciscere nefas est. Quid hoc aliud, nisi id, quod definitio exprefsimus? Non distinguenda hic ignorantia vel error, qui evitari potuisset, vel securus, aut quo in iure vel facto quis fallitur. Nam bona fides, vt ait THOMASIVS d), etiam de homine valde supino praedicatur. Hinc CELSVS quoque e) cum bona fide possidere dixit, qui rem, quam possidet, numquam emit, attamen quondam emisse, sibi perjuader, sicque eorum adeo, quae ipse gesit, memoriam depositat. Nec dispari sententia VLPIANVS f): Non puto, inquit, hunc esse praeponem (seu malae fidei possessorem) qui dolo caret, quamuis in iure erret.

Matrimonium putatum HENELIVS g) describit: *Quod vere contractum esse, & proprie solemniter, & bona alterius fatus coniugis fide apparer, sed ob aliquod impedimentum contrahiri prohibitum.* HERTIVS h) ei adstipulatur, his modo mutatis, vt illud inter personas iungi vetitas contractum velit. Alii, quos laudat HERTIVS, aliter definunt, quos omnes si nobiscum contenderis, summam deprehendes concordiam. Nec ipsa rei natura aliam notionem patitur, cum tale velimus omnes coniugium, quod a bona fide vires acquirit, vt in huius praemium legibus seueritas abcedat. Vnde sequitur, id, quod agitatur matrimonium, propriis non subsistere viribus, sicque in se nullum esse. Praeterea in matrimonio

Dissertatio iuridica

IO

putatiuo bonam fidem tam late patere, quam a nobis supra extensa est, perspicuum est e MARCIANO, qui ex rescriptis Imperatorum excitat castum i), ubi *femina, ignorata iuris, in matrimonio auunculi fuit, idque pro putatiuo habatum est.* Contra ea INNOCENTIVS III. k), matrimonio *feminæ cuiusdam, alii iam iunctæ, cum nouo marito, rei huius ignaro, inito, effectus matrimonii putatiui tribuit.*

a) Dissert. de effectibus actus nulliter gesti.

b) BOEHMER. c. l. L. 4. tit. 7. ff. 159.

c) STRYK. de diffens. sponsal. Sect. 5. de nullit. matr. ff. 1.

d) Dissert. de fide iurid. c. 2. ff. 2. LEYSERI Dissert. de bona fide.

e) L. 27. ff. de Vsurp. & usuc.

f) L. 25. ff. 2. de hered. petit.

g) de dotalit. c. 4. ff. 10.

h) l. c. ff. 7.

i) L. 37. ff. 1. ff. de R. N.

k) c. 14. X. qui fil. sunt legit.

§. IV.

Leges naturales extra rempublicam habent quidem matrimonia illicita plurima, nulla tamen non habent. In republica per se matrimonia, prohibita alio effectu a licitis non distinguuntur, quam poena iis irroganda, qui in rem vetitam nisi sunt, & disiectione ac separatione coniunctionum, donec est res integra. Quodsi tamen specialia quaedam iura ac privilegia matrimonii per leges constitutas indulta sunt, his priuari possunt coniunctiones nefariae, & illis priuare eas voluisse superiorum, suspicari omnino licet. Effectus societatis coniugalis peculiares pendent omnes ex natura & indole procreationis, inde vbiique adsunt, vbi illa

illa deprehenditur, siue licite, siue male fiat, nec existere potest matrimonium quod effectus matrimonii non habeat, seu nullum: Effectus autem isti matrimoniorum, quoniam ex sanctissimi iuris naturae praeceptis proficiscuntur, adeo sunt necessarii, ut ne tolli quidem in republica possint. Hinc intelligitur in se matrimonii illiciti effectus, praeter eos, quos dixi, singulares non esse. Separatio vero fieri tantum potest, donec est res integra, seu liberi nondum suscepti vel concepti sunt, quia, re adhuc integrâ, & illicitis per seiuunctionem obuiam itur, & iura matrimonii naturalia non tolluntur, quippe quae, nondum facta procreatione, nondum adsunt; postea vero fieri nequit, quia tum obesset educationi a). At autem e. g. Germaniae legibus innumera iura matrimoniorum adduntur iis, quae ex indole rei derivari possunt, inde haec non necessario impertienda sunt cuiuis coniugio, sed possunt vetitis matrimonii negari. Quin non possunt solum negari, sed negari etiam debent ex praesumta legislatorum voluntate, cum singularem fauorem & gratiam contineant, illicitis vero fauisse credi nequeat superior.

a) Sed quoniam, si diutius conversentur ii, qui illicitam venerem exercuerunt, possint vitia vitiis accumulare, melius vitae consuetudine ipsis interdici solet, continuata tamen vtrimeque educationis cura.

§. V.

*In Germania omne matrimonium, cum legum, siue naturalium, siue ciuilium, iniuria initum, ex regula ipso iure nullum est. Id non iis solum principiis nititur, quae I. praec. stabiliumus, sed & expressis legum in Germania dominantium sententiis inuestitum est. Sic enim ius Romanum: Nullum pactum, inquit, nullam conuentio-*

nem, nullum contractum inter eos videri volumus subs-  
cutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente,  
& paulo post subiicit, ea, quae lege fieri prohibentur, si  
fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam  
habeantur: licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec  
specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est a).  
Eadem repetuntur in DECRETO b). Inde patet, matr-  
monia instar aliarum quarumuis rerum contractarum, si  
contra leges sunt in se ex regula cassa, vana & inania esse,  
sive effectus civiles omnino non producere. Quare IVS-  
TINIANVS, si aduersus ea, inquit, quae diximus, aliqui  
coierint: nec vir, nec vxor, nec nuptiae, nec matrimo-  
nium, nec dos, intelligitur c).

a) I. 5. C. de LL. l. 6. C. de Pactis.

b) c. 13. C. 25. q. 2. V. VANTIVM de Nullit. Proc. & Sent.  
Cap. Quid sit: Nullitas? n. 14.

c) J. 12. J. de Nupt.

### §. VI.

Matrimonium putatum diuiditur in id, quod ex  
vitraque coniugum parte, & in id, quod ex uno tantum  
latere putatum est, nec non in id, quod e iuris, & in  
id, quod ex facti ignorantia & errore descendit. Quarum  
diuisionum ratio in antecedentibus.

### §. VII.

Si quis mulieris consuetudine uxoris instar veteretur,  
cum qua vero a sacerdote nunquam fuit coniunctus, falsa  
animi perjugione deceptus, quasi illa sacerdotis coniunctio  
non esset omnino necessaria: aut si maritus, a pculis do-  
num de nocte reuersus, & ad uxorem tendens, prauis  
cuius-

cuiusdam genii infidis ad alienae cuiusdam mulierculae, in iisdem forsitan aedibus habitantis, lectulos deferretur cum eaque noctem transigeret, aut si, maiori adhuc fortunae temeritatem, ad feminam, cuius maritum longior absentia distracticerat, accederet interim impostor nequissimus, ore, vultu, gestu corporisque habitu verum maritum exacte referens, absentem mentiretur, & cum decepta per tempus satis diuturnum versaretur: nullum adforet matrimonium putatiuum, quin potius plane non adforet matrimonium. Matrimonium putatiuum enim non adest, nisi adsit matrimonium nullum, iam vero in excitatis casibus non adest matrimonium nullum, ergo ibi quoque putatiuum non est. Etenim ubi exulat sacerdotis benedictio, ibi non est matrimonium, ergo ibi deest quoque matrimonium nullum, quod est species matrimonii.

Non verbis pugno, sed rem maximi ponderis hic trago. Nego enim ac pernego, iura matrimonii putatiui competere posse iis, quos finxi, casibus. Dissitetur e. gr., liberos ita susceptos posse dici legitimos, indeque posse patri morienti legitimorum instar succedere, posse feminam portione in statuariam nancisci, & quae sunt reliqua, quae alias de M. P. dicuntur. Ut enim hoc vtar. Si quis praedi nobilis possessor, ignobilis origine & ciueus, ex praedio in se nobilitatem transferri autumaret, indeque optima fide nobilem se profiteretur, praeterea in duastam a se interim vxorem eamdem nobilitatem transfunderet, eodemque iure liberi, ex hoc matrimonio procreati, haberentur, an, comperto postea errore, nihilominus liberi ob patris bonam fidem aestimabuntur nobiles, an vxor, marito superstes, adhuc pristini honoris decus retinebit? Nemo contendet. An testamentum ex eo, quod testator ius ignorabat, coram tribus tantum testibus privatim conditum, cui tamen septem interesse oportebat, ob bonam fidem testatoris validi testamenti vires habebit? Quilibet negabit. An, si solenne testamentum conditurus, numquam subseribat eidem, arbitratus, id iam factum esse, an, inquam, illud excusabitur? Numquam vero. Cur hoc? Nimis neglecta

Dissertatio iuridica,

14

est forma rei, hac vero destituta omnia corruunt & labefactantur, nullo censu bona fidei habito. Eadem ratio matrimonii, cuius forma necessaria benedictio. Inde ea quoque de causa supra peroratis casibus matrimonium nullum adesse negari potest, quia ibi ne matrimonii nullius quidem effectus apparent, quippe quod ob accedentem bonam fidem interdum legitimis coniugii iure censeri potest, quod abest a propositis exemplis: Aliter, calculum posuit HER-  
TIVS a), sed inuitis, ut arbitror, iuris principiis.

a) loc. cit. §. 10.

§. VIII.

*Si quis virginis ciuidam de matrimonio futuro fidem derit, postea mutato consilio animum ad aliam applicat, eamque, exhibita omni forma, ita, ut moris est, matrimonio sibi iungit, vel si quis clam muliere publicam ex sug- gesta annunciationem omittit, eam interueniente tamen sacerdotis benedictione sibi despendet, M. P. non adest. Pri- mo enim inter pontificios sponsalia, quae vocant de futuro, quorum indolem habent omnia Protestantium sponsalia a), non infringunt vim matrimonii, postea cum alia femina initi, sicque illud nullum non reddit, ut ait PONTI- FEX b): „Si inter duos accessit tantum promissio de fu- „turo, si alius mulierem illam per verba de praesenti despon- „sauerit, secundum matrimonium non poterit separari. „Et licet his sacramenti natura paullulum subsit, Euange- lis non probata, nihilo secius tamen, cum publica illa ex suggestu annunciatione, matrimonio, ex more praemissa, peremptoriae, quam dicunt, citationis vim habeat, & ho- nor contracti matrimonii, salutisque publicae ratio, & cita- tionis rigor exigit, ut subsistat validumque in se sit per- fectum coniugium c). Idem itaque in casu omissione per do- lum ab eo, qui bina sponsalia contraxit, annunciationis publicae*

publicae non dixerim apud Euangelicos, licet inter catholicos dici possit, quando sponsalia ex eorum mente sunt de futuro.

Quod ad publicam illam, quae ex suggestu fit ad concionem populi, matrimoniorum annunciationem attinet, ea omnino quoque, ad connubium progressuri, iure canonico vti iubentur. Sic enim PONTIFEX d): Statutus, inquit, *vt cum matrimonia fuerint contrahenda in ecclesia, per presbyteros proponantur, competenti termino praefinito, vt intra illum, qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat.* Idem per CONCIL. TRIDENT. e) ferio praeceptum legimus. Atamen huius ritus neglectum reddere matrimonium nullum, aut efficere adeo, vt matrimonium plane non ineatur, dici nequit. Etenim ratio eius ea est, vt illis, qui quidquam in praeparatis nuptiis monendum habent, si qui adsint, id adducere ac demonstrare integrum sit (per c. cap. X.). Mala itaque quae praetermissa annunciatione oriri possunt, ea sunt, vt, quae vocant, matrimonii impedimenta vel publica, vel priuata, non apparent. Iam eiusmodi impedimenta vel adsunt, vel desunt. Si desunt, ratio cessat, ob quam annuntiatio erat necessaria. Si adsunt, & sunt publica, matrimonium quidem nullum in se est, non vero ob omissam annunciationem, sed ob impedimentum hoc, quod matrimonio obstat, si sunt priuata, tum quidem, si post sponsalia praesentia, coram sacerdote declarata, adferantur, non admitti, exemplo iam vidimus & pluribus adhuc infra videbimus. Transeunt igitur in nostram sententiam pedibus GONZALEZ f), LEANDER g), BOEHMERVS h), aliisque classici Iuris Canonici interpretes. Idem ergo inter Euangelicos quoque obtinet, si a matrimonio, quod in fraudem eius, qui prius ex sponsalibus ius habet,

clam

clam & absque annunciatione inito, recesseris, quod validum inter Euangelicos dici posse, & supra iam negau, & hic iterum nego.

a) BOEHMER. cit. loc. tit. 1.

b) c. 31. X. de Sponsalibus. Nemo vero hic opposuerit, me supra hoc & similia huic decretalium capita, tamquam priscis moribus contraria usque hodierno in vulgus neglecta venditasse, indeque perperam ex iis validitatem matrimonii, non obstantibus prioribus partis, demonstrare. Salta enim adhuc res est. Illud nimurum mihi quisque dabit, tam, cum ea, que laudatis capitibus de sponsalibus de praesenti, sine sacerdote initis, dicantur, a Pontifice statuerentur, idem multo magis ad ea sponsalia pertinuisse, quae cum sacerdotiis benedictione celebrarentur. Licet igitur a capitibus nostris recedendum sit in iis, quae de sponsalibus praesentibus nudis continent, probant tamen adhuc, quando matrimonii, coram sacerdote inchoati, valor ex iis deducitur.

c) BOEHMER. cit. loc. L. 4. tit. 3. §. 35. BERLICH. P. 1.  
dec. 74. ZIEGLER ad LANCELOT. l. 2. t. 15. §. 1.

d) c. 3. X. de cland. desp.

e) Sess. 24. de Reform. c. 1.

f) ad c. 3. X. de cland. desp. n. 7.

g) de matrim. disp. de clandestinit. q. 45. & 46.

h) l. c. f. 33.

### S. IX.

Si quis, lata contra matrimonium, de quo lis agitatur, sententia, solutus iam & liberatus ad alias nuptias transit, nec illa sententia nulla est: hoc matrimonium non est in se nullum, nec inde patratuum. Quodsi vero viuilla sit iudicis sententia, matrimonium quoque postea initum, ex iure canonico, si contra ipsum matrimonii iam existentis vin-

vinculum pronunciatum est, semper in se invalidum, indeque donec adeat bona fides, putarium est, si vero non contra praesens, sed futurum adhuc & imminentis matrimonium, sententia lata est, non obstante sententiae defectu, matrimonium postea initum legitimum ac validum est: & hoc posterius Euangelicis eo quoque casu applicandum, si ipsum matrimonium iam inchoatum per sententiam dissolutam est. Plerisque ea animo inueterauit opinio, secundum ius canonicum, sententiam contra matrimonium latam, numquam ad vires, ut vocant, iudicati prouehi. Sunt in his partibus eximiae laudis 1Cti a). Prouocant in caussa tuenda ad complura decretalium loca b), vbi exempla sententiarum, longissimo interuoluto temporis spatio infrastructarum, deprehendunt. Verum in uno loco sententia minus rationabiliter lata, ut sunt verba capitisi, studio utriusque (litigantium) interueniente, seu, quod dicunt, per collusionem impetrata erat; alibi contra mulierem, matrimonium, quo homini cuidam se iunctam ferebat, probaturam citatamque eum in finem, impeditam vero santicis ex causis, quominus statuto sibi tempore ad iudicem accederet, praecipi iudicis impetu, in contumaciam fuerat iudicatum; alibi matrimonium, conficta per collusionem litigantium falsa compaternitatis causa, pro nullo erat declaratum; alibi sententia de separando matrimonio ob mariti impotentiam multo ante lata, tamen ad se inuicem redire iussi sunt quia alias nuptias parabat vir separatus; alibi sententia per errorem erat prolatata, cum ob impotentiam, ad temporis tantum durantem, ceu ob perpetuam, facta esset separatio. Ex quibus omnibus id palam colligitur, semper adfuisse sententias nullitatis vitio laborantes, vbi iis post longum adhuc temporis spatium aduersum itum est. Vnde si nulla non sit sententia, idem aequae dici haud poterit. Quare stat nobiscum Egredius BOEHMERVS, qui multus

est in hoc argumento c). Certum itaque est, sententiis, quae nullae non sunt, eamdem hic iudicati vihi inesse, ut alibi. Si vero contractum legitime matrimonium per errorem vel dolum, aut non adesse, aut dissoluendum esse, decisum sit, hanc sententiam numquam rei iudicatae vim induere, patet ex adductis capitibus, idque catholicorum rationibus apprime respondet, cum, ut ait PONTIFEX, sacramentum fidei, (cuius generis est matrimonium) quod semel est admissum numquam amittitur d). Quando autem res sponsalia tantum, quae ipsius matrimonii vim non habent, tangit: poterit quidem adhiberi querela nullitatis, ut alibi, intra consuetum tempus, sed tantum re adhuc integra. Nam si, non contradicente ea parte, quae per sententiam laesa, altera matrimonium auspiceretur, hoc matrimonium opprimere sponsalia, alibi iam contracta, etiamsi re vera adsistat, per antecedentia liquet. Euangelici ignorant matrimonii sacramentum. Inde contra sententiam nullam, qua dissolutum matrimonium, datur quidem nobis querela nullitatis; sed haec, ut alibi, ad solam priuatam laesi commoditatem refertur. Inde & intra consuetum tempus extingui eam oportet, &, si res non amplius est integra, eodem modo, ut in concurrentibus cum matrimonio prioribus sponsalibus dictum est, id dandum erit innocentiae secundi coniugis, & negligentia prioris, quod ineundis nuptiis non intercessit, eam poenam meretur, ut subsistat matrimonium postea contractum qualibuscumque eius ingratii, etiamsi sententiae nullitas insit.

e) Ut BERGER, in Elect. Proc. Matrim. §. 45. & Resol. ad LAVTERB. GONZALEZ. ad c. 7. X. de Sentent. WIESSNER. Instit. Iur. Canon. Tit. de Sentent. n. 72. BEVST de Sponsal. c. 39. in pr. p. 2. TEXTOR in Praxi iudic. P. 1. c. 11. num. 30. STRYK ad BRVNNEM. I. E. L. 2. c. 17. §. 27. COOPEN L. 1. Obs. 35. LUDOVICI in Conf. Proc.

Proc. c. 18. §. 15. HERTIVS vero l.c. §. 12. nostram  
tueri videtur sententiam quoad ius pontificium.

b) c. 7. 10. 11. X. de Sentent. c. 5. 6. X. de frigid. & malef.

c) c. l. L. 2. t. 27. §. 42. seq.

d) c. 7. X. de diuort.

§. X.

Matrimonium a filio filiaue familias, inconsulto patre,  
nefciente id coniuge, initum, iure Romano quidem puta-  
tium erat, iure Germanico & Canonico autem, sicque  
more bodierno, validum inse est. Quam late patuerit apud  
Romanos paternum imperium, inter omnes Romana  
edictos, constat. Licit legibus recentioribus multum  
priscae eius atrocitat detraetum sit, tamen procul adhuc  
aberat ab aequi iustique limitibus a). Adhuc emancipatio-  
nis arbitrium penes patrem, sicque nec barba, nec nup-  
tiae b), nec dignitates, nisi eximiae quaedam, a paterna  
potentia eximere valebant. Donec haec duraret, omnium  
bonorum, quae habebant liberi, dominium, aut ordinario  
vſusfructus, patris erat, vt perraro his, de rebus suis de-  
cernendi plena esset copia. Non modo itaque paternae  
auuthoritati contrarium, ducere vxorem, vel nubere marito,  
patris consensu neglecto, verum & legibus quaesita patris  
iura gnauiter laedebant. Sub aui ditionem ac tutamen mi-  
grarurum erat, quicquid ex filio adnascebatur, ad eundem  
dotis, quam adferebat nurus, spectabat virilitas, ad eum-  
dem, indotatam alendi cura. Filiae, facultatibus destitu-  
tae, dos concedenda, aut instruetae, ad ferenda matrimo-  
nii onera, pars vſusfructus remittenda, & generatim, ex-  
surgente mariti imperio, paternae potestati interim quiscen-  
dum erat. Vbiique igitur agebatur res patris. Inde non  
solum ad ineundum matrimonium consensus patris erat

necessarius c), verum & absque illo initum nullum erat. Nam filia, absque patris consensu nupta, posteaque libidinibus seruiens, adulteria non committebat d), liberi non erant legitimi e), nec vir, nec vxor, nec nuptiae, nec dos intelligebantur f). Ignorarunt contra Germani perpetuo parentum tam infinitam potestatem. Non libido patris, sed sibi ipsis prospiciendi facultas liberorum, paterni imperii, etiam reluctante patre, terminus; vt ait SPECULATOR SAXO g): *Hat ein Vater seine Kinder in Vormundschaft nach ihrer Mutter Tode, wenn sie sich darnach von ihm scheiden, er soll ihnen geben alle ihr Muttergut, & SVEVVS b), der Vater soll seinen Sohn von sich sondern, so er 25. Jahr alt ist, mit als viel Gut, als er geleisten mag, also, daß ihm das mehrere Theil bleibe, und thut er das nicht gern, der Sohn nöthiget ihn des mit Recht wohl vor seinen Richter.* Hinc oportuit filias, dum nubent, siue paternis ex opibus sustentari desinerent, e patris potestate continuo exire i): Oportuit quoque filios, dum proprios lares habere inciperent, iunctique matrimonio, ipsi familiam ducerent, statim excutere toleratum haec tenus patris imperium k). Cum itaque hoc solum obstatere possit, quominus liberorum nuptiae, inscio patre initiae, validae sint, sequitur, vt inualidae in Germania esse nequeant, quoniam per easdem omnis potestas resoluta est l). Conspirat cum hoc REC. IMP. m): *Die weile der väeterl. Gewalt diese Vereinigung des Ehestandes von Rechts wegen weichen muß, soll man die nicht boeren, die zu unsern Zeiten wollen, daß die Ehe oder versprochene Heyrath wiederum zertrennt werden und nicht gelten sollen, wo der Eltern Bewilligung nicht dabey gewesen ist.* Quod ad Ius Canonicum attinet, id antiquo more quidem consenfui paterno plurimum tribuit, paullatim tamen ad alia omnia declinavit, vt denique expressa CONCILII TRI-

DEN-

DENTINI sanctione cautum sit n): clandestina rata &  
vera esse matrimonia, quamdui ea ecclesia irrita non fecit,  
ut propterea iure dammandi sint illi, qui ea vera & rata  
esse negant, quique falso affirmant, matrimonia a filiis fa-  
miliae sine consensu parentum contrafacta, irrita esse, &  
parentes ea rata, vel irrita facere posse. Iam his ita com-  
paratis, facile liquet id, quod de viu hodierno dictum est.

His ita comparatis, de matris vel agnatorum consensu neglecto,  
dicere non attinet.

- a) V. Perilliusris CARRACHII Diff. egregiam de diff. I. R. &  
G. in pecul. in primis fil. fam. §. 14. sub initium.
- b) I. i. §. fin. ff. de lib. exhib. GVNDLING in Digest. de  
Adopt. & Emanc. p. 90. §. 16.
- c) pr. I. de nupt. l. 12. C. cod.
- d) l. 13. §. 6. ff. ad L. Iul. de Adult.
- e) l. 11. ff. de Statu hom.
- f) §. 12. I. de nupt.
- g) L. i. art. 11.
- h) cap. 382.
- i) HEINECCII Elem. Iur. German. Tom. 1. Lib. 1. Tit. §. BOEH-  
MER Diff. de Statu liber. sui iuri. fact. per separ. vel nupt.  
c. 2. THOMAS. Diff. de V. Pr. Tit. I. de P. P.
- k) THOMAS. Diff. de Quasi Emanc.
- l) V. de LVDEWIG Differt. de connub. imp. consensuque par.  
Diff. l. c. 2. §. 4. THOMAS. Diff. de Validit. coniugii ini-  
tis par. contr. SARRYK. de Diffensu Sponsal. S. 5. §. 39.  
MENKE Diff. de liberorum & militum ob defectum consensus  
parentum & Chilarchae nuptiarum nullit. III. G. L. BOEH-  
MER Diff. de necessario parentum consensu in nuptiis liberorum.
- m) Kayserl. Erklarung wegen der Religion de a. 1548. Artic. 21.  
§. 9.
- n) Seff. 24. de Reform. c. 1.

## §. XI.

Si homo minor, curatoris auctoritate posse habita, matrimonium contraxit, id iure Romano in se nullum non est a), a quo nec recedunt reliqua iura b). Idem de coniubio proprii in Germania boniis (nam cum seruis Romanorum nihil nobis negotii) c), secundum ius canonicum teneendum est d), secus ex iure Germanico e), ubi tamen, si publica illa ad concionem facta sit tria manifestatio; eum matrimonio honorem habendum f), idque citationis efficaciae tribuendum existimauerim, ut inchoatum iam matrimonium in se nullum non censeatur, praecipue cum ex alio capite domini, consensum impetrare, non intersit, quam ut exiguum pretium, pro impetrando illo exfolendum, lucretur g). De militum denique nuptiis generatim quidquam determinari posse, in maxima legum militarium particularium diversitate, dubito, licet id tentarint nonnulli h). His cognitis, facile aestimari poterit, quando in adductis casibus adsint matrimonium putarium.

Quid de consensu ab Imperatore, vel statibus provincialibus, in nuptiis dominiorum territorialium tenendum sit, siccò pede transeo, cum isto consensu ad id opus esse, ut nullitas matrimonii principum abstergatur, nemo facile hodie contendat, licet ad alios matrimoniorum quorundam effectus eum requiri, non ignorem. Pari modo quid de consensu domini directi in nuptias vasalli hodie putandum sit, expeditum est.

a) l. 20. ff. de R. N. L. 8. C. de nupt.

b) V. de LVDEWIG. Diff. de Consensu connub. extra patr. Diff. 2. n. d.

c) V. BOEHMERI Diff. de Iure & Statu hom. propr. a seruis Germ. non Rom. derivando.

d) c. i. X. de coniugio seruorum: Nec inter seruos matrimonia nullatenus debent esse prohibita. Et, si contradicentibus dominis

minis & inuitis, contracta fuerint; nulla ratione propter hoc dissoluenda.

- e) LL. W. Goth. Lib. 3. tit. 3. L. 10. Si seruus ancillam iuris alieni rapuerit: ducentorum flagellorum verberibus caesus & decalvatus, si dominus ancillae voluerit, abque dubio separatur. Capitul. ap. BALVZ. Tom. 1. p. 351. c. 4.

- f) V. HILLIGER. Diff. de eo quod sit in honorem matrim.

- g) Vnde HEINECC. Elem. Iur. Germ. Tom. 1. l. 1. tit. 1. §. 46. sponsalia abque domini consensu inita RE INTEGRA dissoluenda ait, cum eoque conspirat BOEHM. c. Diff. Secf. 3. §. 9. vt etiam patet ex omnibus legum particularium locis a BOEHMERO I.E. P. L. 4. t. 9. §. 6 seq. & LVDEWIGIO l. cit. Diff. 10. n. 10. §. 8. congettis, quibus vel sponsalia tantum dissoluti inventur, vel iam coniunctis alia poena, quam dissolutio matrimonii, imponitur. Idem probat quoque CAP. AHYTONIS ap. LVC. DACHER Tom. 6. Spicil. n. 14. capit. 21. p. 697. Vbi mancipia non unius, sed diuersae potestatis iuncta fuerint, nisi consentientibus utrisque dominis, huiusmodi copulatio rata non erit. QVICQVID VERO NEGLIGENDO SENTITVR, ET VIRTUTE, QVA POLLENT, NON EMENDETVR: NAM HVIVS COPVLAE AVCTOR ERIT, QVI HVIC NEGLIGENDO CONSENTIT.

- h) Ut de LVDEWIG c. l. Diff. 9. n. 8. Augler in der Anleitung zum Kriegesrecht 15tes Hauptstück §. 238.

## §. XII.

Matrimonium, si sponsalibus vis & coactio, vel fraus & circumuentio inest. & iure naturae, & legibus ciuilibus omnibus nullum est, matrimonium putatiuum ex altera parte tamen dici nequit, licet ad hoc proxime accedit, & omnia eius iura habere debent. Ius naturae omnia pacta reprobant, quae non libere aut a circumuento inita sunt, inde dubium non est, quin & in matrimonii sibi ipsi

ipſi conſtet. Germanos ſincerrimos mortales, & ad integrum fidem veluti professoſ, aſtutiae hic indulſiſſe, nemo tibi perſuadebit. Iure Romano conſenſu fiunt nuptiaſ a), qui vero abeſt, vbi viſ doluſque adhibitus, ſaepiuſque libere animuſ applicare ad nuptiaſ vult eum quoque, qui alias imperio ſub'eſt b), praeterea negotia bonaे fidei omnia ob dolum cauſam dantem irrita declarat c). Inde & hic exularē quamuis fallaciā & calumniā, per ſe patet. Ius canonicum expreſſiſſimi verbiſ definīt, vt, ſi mulieri, ad exprimendum ab ea in matrimonium conſenſum, talis iniectus fuerit metuſ, qualis potuit cadere in virum conſtantem, ea omuino ſit audienda d). Doli vero cauſam appriſe in rem noſtrām reſpondit PONTIFEX, dum enarrato caſu, vbi quis falſum nomen praeferens, induxerat puellam, omnia, quae geſta fuerant, irrita declarat iisque ſubiungit: Ex altera parte dolus adfuſit, Et defuit omnino conſenſus, ſine quo nequeunt caetera foedus perficere coniugale e). Nec diuerſiſ principiis Euangelici utimur f). Licet vero in ſe nulla ſint ea, quae traſtamus, coniugia, nec in iis ab vtraque parte mala fides eſſe dici poſſit, non agit tamen deceptuſ & coaſtuſ contra leges, ideoque bonaе fidei eius, quae ad matrimonia putatiua requiriſtur, noſtio hic aegre poterit applicari. Quoniam vero praecipua M. P. iura ex eo deducuntur, quoniam culpa carent coniuges; eidem hic rationi, eosdem effeſtuſ quin tribueremus?

Loquimur hic de metu, qui ſponsaliibus accedit, non de eo, quo post ſponsalię, ſponte inita, ad matrimonium quis coaſtuſ eſt. Inde quoque inter metum iuſtum & iniuſtum non diſtinguiſimus, cum nec iuſ naturae, nec leges humanae metum iuſtum ad ſponsalia incunda nouerint. Post fidem datam de futuro matrimonio metuſ haud iuriſta promiſſi recessuſ iacentiſſiſt.

a) L. 2.

- a) L. 2. ff. de R. N. L. 30. de R. I.
- b) L. 21. ff. de R. N. I. 14. C. de Nupt.
- c) L. 7. pr. ff. de dolo malo L. 16. §. 1. de minor. L. 3; §. fin. pro focio.
- d) c. 28. X. de Sponsal. cf. § c. 6. c. 21. eod. Interseritur passim ea conditio; si concubitus nondum acceperit; at vero hoc intelligendum esse de eo congressu, cui non reluctauerit metu libera coniux, sive quem sponte admisit, probat tum a casu dolii petita ratio, tum res ipsa sollicite rem meditanti, tum GONZALEZII auctoritas ad cap. 21. X. de Sponsal. conf. EVNDEM ad c. 15. eod.
- e) c. 26. X. de Sponsal.
- f) STRYK de disensu sponsal. Secl. 3. §. 18. & Secl. 5. §. 49 seq.  
§ 55. BOEHM. I. E. P. L. 4. t. 1. §. 141. KAESTNERI  
Diff. de Matri. cop. carn. & sacerd. confum. ob dolum adhib. annull.

### §. XIII.

Matrimonium hominis christiani, cum infideli initum, est in se nullum, indeque, si bona fide contrahatur, erit putatum. Nullum sincerius, quam inter amicos, obsequium. Vnde, cum maxima inter coniuges sit familiaritas, & verendum erat christiana reipublicae, & saepissime accidit, ut, qui in meliori fide adoleuerant, postea coniugali aliorum alienae fidei hominum consuetudine proni aliorum flecterentur. Non poterat huic malo aliunde medicina parari, quam ampurata eius veluti radice, scilicet, sublato pristino vitae conforio. Mox itaque inter reliquas, quae christianis describebantur, leges & haec fuit, ne infidelium coniugia appeterent, idque sub nullitatis poena. Sic enim THEODOSIVS matrimonium cum Iudeo initum, adulterii instar habuit, & illius poena castigendum statuit a), manifesto indicio, quod nullum esse velit hoc coniugium,

D

eodem

eodem modo ac adulterium validum legitimumque matrimonium dici non potest. Sic quoque in DECRETO GRATIANI ex Concilio Urbanensi illud praecipitur: *Si quis Iudaicae pravitati coniugali societate iungitur, siue Christiana Iudeo, siue Iudea Christiano mulier carnali conformatio misceatur. quicunque eorum tantum nefas admisere cognoscitur, a Christiano coetu atque coniuicio & a communione ecclesiae protinus segregetur b).* Quid inde aliud concluditur, quam, si coniux in communione ecclesiae manere, aut ad eamdem reuerti velit, initum matrimonium ne momento quidem stare ac valere possit? Istud luculentius tradit CONCIL. TOLET. IV. ex quo illud depromxit GRATIANVS: *Iudaei, qui christianas mulieres in coniugio habent, admonentur ab episcopo ciuitatis ipsius, ut, si cum eis permantere cupiunt, Christiani efficiantur. Quodsi admoniti noluerint, separentur: quia non potest infidelis in eius permanere coniunctione, que iam in christianam translata est fidem c).* Eadem habent plura alia CONCILIORVM DECRETA d). Nec huic derogatum est recentiori iure canonico. Ea enim, quae obstat forsan videri possent e), concepta sunt de eo casu, ubi matrimonium inter Christianos quidem legitime contractum est, verum postea alter coniugum fidem priorem deseruit. Scilicet eo casu matrimonium nullum fieri nequit, quia, ut postea demonstrabitur, matrimonium numquam potest fieri nullum, sed nullitas, ex recentioribus principiis, ab initio adesse deberet. Eadem inter Euangelicos quoque statuenda est regula, cum finis huic legum dispositioni propositus, nostris non aduersus sit fidei doctrinis, ad eundem vero obtinendum alia via, quam per annullationem ac separationem matrimonii incidi nequeat.

s) 1. 6.

- a) l. 6. C. de Iudeis.
- b) c. 17. C. 28. q. 1.
- c) c. 10. eod.
- d) Ut CONCIL. AVREL. III. ap. HARDVIN. Tom. 2. Concil. pag. 1426. CONCIL. TOLET. III. ap. EVMDEM pag. 481. CONCIL. ROM. I. ibidem p. 1929.
- e) Ut c. 7. X. de diuort. &c.

## §. XIV.

Si alter coniugum infidelium sacris christianis initiatur, alter vero antiquam fouet superstitionem, & matrimonium, si coeptam vitae coniunctionem continuant, inter eos manet, & hoc non est nullum, sed legitimum. Inuitandi erant non deterrendi illi, quos a fide profana ad christianam traducere animus erat. Recedendum itaque erat paullo a legum christianarum rigore. Inde suscit iam AVGSTINVS, ad PAVLLI Apostoli sententiam, vt, licet posset deferre pars conuerfa infidelem, tamen, melius factura, secum retineret a), cum eoque conspirarunt plures alii ecclesiae patres b); tantum abest, ut hoc matrimonium ipso iure cessare, aut nullum esse voluerit. Probauit se ista sententia, & ut semper ecclesiae suffragia tulerat, ita expreſſie confirmata ab INNOCENTIO III. qui, si alter, inquit, infidelium coniugum ad fidem catholicam conuertatur, altero vel nullo modo vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transbit c); ut adeo extra hos casus ne diuortium quidem permittat, multo minus matrimonium, quod lubentes continuant, aut non esse, aut nullum esse statuat. Dicitum id quoque Euangelicis.

Ab hoc casu valet argumentum ad illum, quo vierque coniux sacra christiana amplexus est. His enim licet benedictio sacerdotalis adhuc adhibenda sit, tamen, antequam accesserit, non existere matrimonium, idque validum, dici nequit.

- a) c. 8. 9. C. 28. q. 1.
- b) V. c. 3. 7. eod.
- c) c. 7. X. de diuort.

### §. XV.

*Matrimonium in gradu prohibito vel cum impubere, vel stante priori matrimonio, cum alio coniuge bona fide initum, est putativum.* Primum enim per hypothesin, quod dicunt, vetitum est a). Alterum per leges Romanas b) aequo ac ius canonicum c), nedum Germanorum consuetudinibus reprobatum est, quibus sera semper venus. Vnde *vxor impubes* dicitur, *non esse legitima vxor* d), quia scilicet matrimonium est inane, & *impubes*, qui *vxorem duxerat*, poterat *absolu*. Et ad alia vota *transire* e), quod iure canonico non licet, nisi in matrimonii inutilibus. Vnum plures iuxta se sibi adsciscere coniuges, & ius naturae, & leges ciuiles, alio tamen modo, tam Romanae f), quam pontificiae g), quam Germanicae h), nefas iudicant. Ius naturae eo usque tantum alios quaerere Hymenaeos prohibet, donec educati sunt liberi, iam ex alio matrimonio nati, aut concepti, quia alias educationi liberorum officeretur. Leges positivae Germaniae autem in regula connubiorum alium terminum, quam mortis, ignorant i), & separationem aliam vel plane reprobant, ut ius canonicum, vel saltim ex grauibus caussis tantum, & publica adhibita auctoritate, permittunt k). Inde, qui, hac solutione nondum facta, ad alias nuptias animum admoet, polygamiae reus est, quae rigorosissime prohibita.

Sed

Sed cum hic priori matrimonio, ut legitime contracto, nihil vitii insit, nec prior coniux iure suo per alterius nequitiam exui possit, oportet, illud saluum esse, posteriora vero coniugia omnia irrita *l).*

- a) Hinc matrimonium cum atunculo contractum *l. 57. ff. 1 ff.* de R. N. in se irritum erat, nec non *c. 3. X. de diuortiis* matrimonium cum cognata initum dissoluendum praecepitur, & dispensationis ballae, qua *INNO C. VI. AN. 1361.* incestis inter principem Walliae & Comitissam Cantiae nuptiis, valorem & indulgentiam tribuit, annullatio iam existentis matrimonii praemittitur, & tum demum de novo libere matrimonium contrahere coniugib[us] iniungitur. Nec delirare videatur qui cum *AVGVSTINO Tom. IV. Oper. qu. 26. in Ienit.* dictum illud Sacri Codicis *Leuit. 20. v. 20. 21.*, secundum quod ex incesto matrimonio nulli nascentur liberi, ita explicant, ut separandi sint coniuncti, ne liberos procreent, vel ut liberi ex iis nati pro illegitimis habendi sint.
- b) *Pr. I. de nupt. l. 4. ff. de R. N.*
- c) *c. 2. X. de desp. imp. ne coniungantur aliqui quorum vires vel alter ad AETATEM LEGIBVS VEL CA-  
NONIBVS DETERMINATAM non peruererint.*
- d) *c. l. 4. ff de R. N.*
- e) *10. X. de desp. imp.*
- f) *ff. 6. l. de Nupt. l. 2. C. de inc. nupt.*
- g) *c. 19. X. de sponsal. c. 50. C. 27. q. 2. c. 3. C. 34. q. 3.*
- h) *TACITVS de Mor. Germ. c. 13. Soli prope barbarorum singulis vxoribus contenti viuunt. C. C. C. art. 121.*
- i) *l. 1. ff. de R. N. consortium omnis vitae c. 7. X. de diuort. Sacramentum fidei, quod scelus est admissum, numquam amitteretur. TACITVS de M. G. c. 20. Sic viuendum, sic percundum.*
- k) *Nov. 140. quae legibus nostris DE CAVSSIIS, PER QVAS DIRIMERE MATRIMONIVM PER-  
MISSVM EST, causa fuit, ex praesenti etiam nostra  
lege*

lege obtinebunt. de Germanis V. HEINECC Elem. I. Germ. Tom. 1. Lib. 1. tit. 14. & quid usus Euangelicorum ob Matth. 5. v. 32. statuat, inter omnes notum est.

¶ Vnde matrimonium cum alia vxore, viuente priore, initum c. 3. X. de eo qui dux, in matr. adulterium vocatur & separandum praecipitur.

### §. XVI.

Quodsi ii, qui adulterii, viuo priori coniuge, iam confuerunt, post illius obitum eo casu, quo iure canonico prohibitum est, in coniugium concedunt, illud quidem nullum est, putatuum autem fieri numquam potest. Ex iure Romano semper quidem invalidum habetur inter adulterum adulteramque, post fata prioris coniugis, initum matrimonium a), verum mitius est ius canonicum, quod non nisi duobus casibus, scilicet si, aut sub spe matrimonii, aut cum infidiis vitae prioris coniugis structis, libidinem exercuerunt b). In quo quidem, ut in reliquis prope omnibus, iuri Romano ex usu derogat. In illis autem prohibitis casibus nullitas contracti iam matrimonii ex verbis PONTIFICIS; nec eis adhaerere debent, nec, si adhaeserint, etiam tolerandi sunt c), satis manifesta est. Matrimonii tamen putatiui numquam accenseri possunt ea, quae adulteri adulteraeque, mortuo priori coniugi, in quem morum obscoenitate fuere iniurii, ineunt, partim quia definitio matrimonii huiusmodi iis accommodari nequit, partim quia effectus quoque eiusdem hic necessario exulant. Deest hic error, quo contra leges agens, credit se leges non violare, adulteri enim sciunt optime facti indignitatem, & si nesciunt speciatim iis futuro matrimonio interdictum esse; ignorant tantum poenam facinoribus ipso-rum propositam. Iuribus matrimonii putatiui priuandum est

est hoc coniugium, quia coniuges versantur in re illicita, vbi error & ignorantia non prodest, quae in primis ibi parum utilitatis adfert, vbi de poena declinanda agitur.

- a) *Nov. 134. c. 12. verba: neque matrimonium valere iubemus.*
- b) *c. 4. C. 31. q. 1. c. 1. X. de conuers. infid. c. 6. X. de eo qui dux. in matrimon. V. de LVDEWIG de stupro sub. matrimon. spe.*
- c) *c. c. 1. X. conu. inf.*

§. XVII.

*Matrimonium ab eunicho initum, tam ius naturae, quam leges positivae omnes reprobant, execrantur & pro irrito habent, nec facile, quia legibus naturalibus et diametra oppositum, tolerare possunt.* Eunuchum interpretor eum, cui perpetuo impedimento a fine matrimonii interdictur. Nulla hic sexus diuersitas, nullum quoque impedimenti disserim, siue illud naturale sit, siue demum hominum industria productum. Effingenda fuit ita definitio, ut, quousque pater matrimonii, ab his hominibus ineundi, prohibitio, eousque extenderetur quoque nominis ipsis tribuendi notio. Exesse enim perpetuo oportere hos, quos definiuimus, et matrimonio, ipsa illorum natura demonstrabit. Persuassissimus quidem sum, unicum tantum dari coniugii finem, generis scilicet propagationem, indeque ita possem philosophari: qui finem societatis eiusdem adsequi nequit, ipsam quoque societatem, cuius veluti anima est finis, per eam obtainendus, ingredi non potest; ex eaque ratione eunuchi perpetuo caelibes esse iuberi possent. Verum tum cum iis grauis decertanda esset acies, qui fines matrimonii ad digitos numerant, eumque numerum serio tuerint, ut de grege illo quam minimum decer-

cerpere impune nemo audeat. Praeterea per eamdem rationem id quidem patere videtur, ridiculum esse & yanum, tamquam sine armis ad praelium proficisci, illicitum vero ac improbum esse, non patet: Inde hac potius via incedo: Qui ad matrimonium accedunt, colunt, ut fieri videmus, mensae lectione consuetudinem. Mensae com munio, nihil habet quod offendat; sed quis de nocte sine rubore cogitat? Cum natura quasuis corporis partes suis visibus destinauerit, omnemque obscoenam voluptatem reprobet, non potest non eunuchi matrimonium, inuita Minerua initum, etiam atque etiam indignari. Parum certe abest sodomiae notio a tam praeposta venere. Ex iis quae haec tenus dicta sunt, pater, quo iure leges ciuiles indulgere possint eunuchorum coniugiis, si vera est regula: leges positivas naturae praecepta tollere non posse. Iam an hae aliud statuant, videndum est. Iure diuino non expressis quidem verbis decisa est nostra quaestio, & tamen illud ex esse iuri naturae respondere, ne momento quidem dubitari potest. Nam primo, non alia ex caussa cum marito iunctam esse vxorem, quam ad proli alendae stuperent, & statim humani generis parentibus palam DEVS denunciavit a), & pluribus aliis S. Scripturae locis manifesto satis expressit b); deinde vero severissime abominatur libidinem, nec commendat solum, sed praecepit mortum castitatem c), quae aliter definiri nequit, quam per abstinentiam a Venere, solius voluptatis caussa exercita d). Cui satis lepide opponitur exemplum DAVIDIS e), cui pessima mancipia adpositae puellae fomento vegetum corporis calorem reuocare tentabant, Digni sane heroës, qui iustum iniustumque doceant, cum ipse Rex vernilis ingenii facinus detestatus videatur, dum nihil cum puella negotii haberet. Ius Romanum duas habet hominum, generandi potentia substitutorum, species; spadones qui non plane & omnino, vel

vel saltim non nisi ad tempus generandi incapaces *f*), inde & adoptare poterant *g*), & *castratos*, qui nostris eunuchis plene similes sunt. Hos posteriores, si a nuptiis non plane exclusi sunt, saltim iuribus legitimi matrimonii caruisse, constat ex verbis VLPIANI: *in castrato dicas dum non esse b*). Verum nec, si tolerauerint eorum coniugia prisci Romani, gentiles homines, multum inde commendationis rei accedet, nec tolerasse quidem eos eiusmodi coniugia, satis ex eo patere mihi videtur, quia & MARCIANVS si spado, inquit, *velit matrimonii causa manumittere, potest. Non idem est in castrato i*), & castrati adoptionibus interdicebantur *k*), non alia ex causa, quam quoniام ad nuptias erant inhabiles. Christianos sane imperatores ab his connubiis abhorruisse, inde valde probabile est, quod & sub primis reipublicae christianae saeculis, ut mox dicetur, ea omnium christianorum mens fuit, & LEO Imperator in orbe Orientali libidinosa ista coniugia seuera lege auerruncauit *l*). Iure canonico distinguitur triplex hominum ad coniugium imperfectorum genus *m*), quos quidem trium viros ita sciungit, ut aliquos *maleficiatos* nuncuper, id est quorum vitium artibus aliorum magicis productum, aliquos vero, quorum heberies magicis formulis & susurris tribui nequit, vel *frigidos* appelleret, si Veneri quidem operam dare possunt, sed absque effectu, vel *impotentes*, si nec illud possunt. Hinc patet omnes hos, quos tradit, imperfectos, vel posse eunuchos esse, vel non, ideoque in locis, vbi de iis statuitur, ambiguum esse, an de eunuchis sermo sit, nec ne. Sed pone, de eunuchis loqui: tum illud expeditum est, iure canonico horum matrimonia ita semper irrita & inania habita fuisse, ut, si voluerint separari coniuges, id illis indulatum sit *o*). An vero, si coniunctio ipsis non displicerit, matrimonium in se inualidum sit? disceptatur. De iure canonico prisco id

E

con-

contendi posse nullus dubito. Ait enim LEO Pontifex: *Cum societas nuptiarum ita a principio constituta, ut prae-ter communionem sexuum; non habeant in se nuptiae con-unctionis Christi & ecclesiae sacramentum, non dubium est, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse nuptiale ministerium (seu mysterium, ut quidam volunt).* Postea eadem adhuc retenta principia, ut ii, quos imperfectos esse constaret, ad matrimonium non admitterentur, ut patet ex verbis GREGORII: *Vir, qui frigidae naturae est, maneat sine coniuge.* Sed, si iam contractum erat matrimonium, iniutos discindere, aequum non iudicarunt, &c, qui ut coniuges coniunctum viuere non poterant, eos ut fratres & sorores virtutis societatem continuare voluerunt p), donec tandem SIXTVS v, impudicæ eiusmodi Veneri seuerissime dicam scripsit, dum: *committimus, inquit, fraternitati tuae & manda-mus, ut coniugia per dictos aut alios quoscunque eunuchos cum quibuslibet mulieribus, praediectum defectum sine igno-rantibus, sine scientibus, contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia, quomodocunque contrahenda, inhabiles auto-ritate nostra declares: & tam locorum ordinariis, ne huius-modi coniunctiones de caetero fieri quoquo modo permittant, interdicas: quam eos etiam, qui sic de facto contraxerunt, separari cures, & matrimonia ipsa, sic de facto contracta, nulla, irrita, & inualida esse decernas q).* Germanis, qui-bus robusta, sana & valida erant corpora, sine dubio igno-ta fuit manca & imperfecta eunuchorum natio, &c, ut erant ab omni foeditate alienissimi, ita, si fuissent inter eos eiusmodi homines, hos a coniugiis exclusuros fuisse cer-tum est. Inualida inter Euangelicos esse eunuchorum con-iugia, ex antecedentibus faciliter colligitur r). Inde si amice & bona gratia in coniugio viuunt impotentes, & impotentiam vel yterque, vel alteruter, ignoret, hoc

hoc matrimonium putatiuum, non legitimū & in se  
validum erit.

- a) *Genes. 1. v. 28.*
- b) *Vt 1. Tim. 2. v. 14. 15. &c.*
- c) *Coloss. 3. v. 5. Ephes. 5. v. 3. 5. Galat. 5. 22.*
- d) *B. BAVM GARTENS Theol. Moral. 2ter Theil, 3tes Haupt-  
stück §. 129.*
- e) *I. Reg. 1. v. 1. sq.*
- f) *I. 6. ff. de Aed. Ed.*
- g) *§. 9. I. de adopt. I. 2. §. 1. l. 40. §. 2. ff. cod.*
- h) *I. 39. §. 1. ff. de I. D.*
- i) *I. 14. §. 2. ff. de manum. vind.*
- k) *LL. cc. n. f.*
- l) *Nou. 98.*
- m) *Tit. X. DE FRIGID. MALEFIC. ET IMPO-  
TENT. COEVNDI.*
- n) *GONZALEZ ad c. 5. X. de frig. n. 5-7.*
- o) *c. 1. 2. 4. C. 33. q. 1. c. 1. 3. 5. &c. X. de frig.*
- p) *c. 2. C. 33. q. 1. c. 4. X. de frig.*
- q) *In BULLAR. MAGNO Tom. 2. p. 587.*
- r) *BOEHMER I. E. P. Lib. 4. Tit. 15. §. II. BAVM GAR-  
TENS Casuist. Pastoral. Theol. cap. 7. 2ter Abschnitt p. 828.*

### §. XVIII.

*Infideles, qui sacra mutarunt, non ad summum le-  
gum inter christianos statutarum rigorem tractandi; sed ho-  
rum coniugia, non nisi ea, quae iuri naturae contraria,  
inutilia sunt, sive & haec tantum putatiua esse possunt,  
reliqua valida ac iusta aestimanda. Id deriuari posse ex  
sanctis iuris canonici arbitror a).* In hoc quatuor casus de-

E 2

cidun-

ciduntur. *Primo* si in gradu, iure canonico tantum prohibito, cognati sint transeuntes, non dirimitur eorum coniugium. *Deinde*, si iure diuino vetitus sit gradus, diuelitur. *Postea* si polygamiam coluerint, vnu tantum coniux retinetur. *Denique* si alter ab altero discellit, matrimonium eorum adhuc subsistit, ideoque iterum inchoandum est, nisi coniux alter alterum conuersum praefraete deserat. Primus casus ab INNOCENTIO III. proponitur verbis: *Vtrum pagani uxores accipientes, in secundo, vel tertio, vel ulteriore, sibi coniunctas, sic coniuncti post conuersionem debeat insimul manere, vel ab iniuicem separari, edoceri postulasti.* Decisio autem ita redditur: *fideles huiusmodi matrimonialiter copulari & libere remanere coniunctam.* Alterius casus decisio latet tam in iisdem verbis, cum per secundi gradus nuncupationem manifesto primus gradus excludatur, qui iure diuino vetitus, quam in sequente capitulo, vbi idem INNOCENTIVS: *Concedimus, inquit, ut matrimoniorum contractis cum relictis fratrum rtantur, sicut tamen (fratribus decadentibus sine prole, ut semen defuncti iuxta legem Moysicam fuscitarent) cum talibus contraxerunt.* Quae verba apercissime id declarant, tantum in eo casu, quo iure diuino permisum erat connubium, Pontificem indulgere, in reliquis secus. Tertiis casus ita prostat: *Quia pagani circa plures insimul feminas affectum diuidunt coniugalem, utrum post conuersionem omnes retinere valeant, non immrito dubitatur.* Decisio concinna est: *Alsonum hoc videtur.* Ultimus casus ita traditur: *Qui secundum ritum suum legitimam repudiauit vxorem, & de hoc pronunciatur: nunquam ea viuente licite poterit aliam, etiam ad fidem Christi conuersus, habere.* Exceptionem probant verba immediate subiuncta. Latet in his capitibus generalis quasi Pontificis dispensatio, cuius limites, *ut ex prouocatione ad scripturam diuinam, ad*

ad veritatem in euangelio &c., patet, sibi ipsi e iuris diuinis praeceptis posuit, ea absque dubio motus ratione, quod contra haec dispensationem fieri non posse sibi persuaserit. In omnibus vero casibus, vbi exemptione a regula absque crimine admitti possit, indulgendum esse ideo creditur: quia, vt ait, *id requirit fauor Christianae religionis & fidei, a cuius perceptione, per vxores se deseruntientes viri, possunt facile reuocari.* Iam exigamus ista ad principia Euangelicorum. Quod de primo casu dictum, inter eos absque dubio retinendum, cum & illis ambiendi sint ad seculae, & a legibus humanis facile recedi possit. Alterum euangelicorum doctrinis non conforme iudico. Quamquam enim diuinis litteras deuotissima mente venemur, & in iis, quae ad fidem ipsam pertinent, acceptatu plane necessarias habeamus, in iis tamen, quae ad ciuilem modo rerum statum pertinent, absque ratione quidem male ab iis recedi credimus, sed, vbi sincera ac grauis cauſa adeſt, diuortium facere, omnino piaculum non iudicamus. Inde, cum iniuitandi & adlienciendi profanos homines studium iusta omnino cauſa sit, ex qua discedatur: etiam coniugia iuri diuino contraria, quatenus id sine publica offentione fieri potest, ex nostris principiis in conuersis toleranda & valida iudicanda sunt. Polygamia non admittenda quia iuri naturae iam aduersa. In ultimo casu principia euangelicorum in alia ire iubent. Pontifex factum ab infideli diuortium ideo illegitimum & inualidum indicavit, quoniam leges diuinae diuertia non permittant. Verum nos, meliora edoſti, si subiit iusta ratio, diuortium per leges diuinas non reprobari, merito tuemur. Quin & si rigorosiores essent, possent tamen absque crimine hoc casu paulo temperari, cum id ex pia cauſa fieret, ad allestantos scilicet infidelium animos, & diuortium, ab infideli, ex principiis religionis, quam tum colebat, suscepturn,

E 3

ſcelera-

sceleratum dici nequeat. Hinc pater, numquam conuersorum iam contracta matrimonia inualida esse & illegitima, indeque, in casu bonae fidei, putativa, nisi quae ipsis iuris naturae paeceptis aduersantur.

*ad c. 8. & 9. X. de diuort.*

### § XIX.

Matrimonium Curatoris cum minorenni, ipsius curae tradita, ante rationes redditas, ut & Praefidis Prouinciae cum femina prouinciali initum, nullum & inualidum iure Romano fuisse, ex legibus clare patet *a*). Verum cum hodie rationes quotannis reddantur, ideoque prior dispositio aegre in Germania possit applicari, posterior vero multo minus Germaniae accommodari valerat, cum exulent ibi eiusmodi Praesides, quos Romani in Prouincias ablegabant, super sedemus inutili disputatione. Eodem modo senatoris, eiusque liberorum, cum vilioribus feminis inita coniugia, palam irrita fuere *b*), sed hoc ipse sustulit *IVSTINIANVS c*), nec ad nostros magistratus pertinet, dignitate senatoribus Romanis multo inferiores, nec ad inaequalia matrimonia iuris Germanici, quae legitima quidem sunt, verum non omnes effectus matrimoniorum aequalium producunt *d*), ideoque & hoc omitimus. Inter raptorem & raptam hodie ob iuris canonici indulgentiam *e*), legitimum esse matrimonium, in confessio est. Si coniunctio a ministro alienae parochiae facta, matrimonium ideo nullum non esse, probat *BOEHMERVS f*).

*a) l. 7. ff. ad L. Iul. de Adult.*

*b) L. 27. ff. de R. N.*

*c) Nou. 78. c. 3.*

*d) WIL.*

- a) WILLEMBERG Sel. Iur. Matrim. c. 6. §. 3. Illustr. HELL-  
FELD in Struuii Iurisprud- beroica P. 2. c. 2. S. 1. §. 28.  
c) c. fin. X. de raptor. incend.  
f) Iur. Paroch. Sect. 4. c. 3. §. 14.

§. XX.

Matrimonium quod ab initio fuit nullum, remoto postea impedimento, quod inualidum reddebat, transit in matrimonium in se validum. Vix vereor, vt quisquam hic obiciat regulam Catonianam: hanc enim non nisi ad ius hereditarium, & ne omnes quidem eius casus, pertinere, satis puto constare a). Sic quoque regula generalis: *quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere b)*, hic patitur exceptionem. Ratione matrimonii enim ea quae diximus, apertissimo exemplo e Nouellis demonstrari possunt. Proponitur scilicet ibi casus c), vbi marito in militiam profecto, vxor falsis nunciis de morte eius persuasa, nouum conciliauerat maritum. Hoc itaque matrimonium nullum erat, cum prius vinculum nondum esset rescissum. At nihilominus de milite redeunte dicitur: *ipse licentiam habeat, si voluerit, suam vxorem recipere*. Ex quibus facilime id cogitur: Si hic matrimonium posterius tum demum nullum iudicatur, si maritus prior vxorem recipere velit, sequitur, vt, si recipere nolit, aut ob mortem subsecutam recipere non possit, validum fit. Ut adeo hic omnino proster casus, vbi matrimonium, sub principium putatum, in verum & legitimum transfusum est d). Minus ambiguitatis habet ius canonicum. Consultus fuerat ALEXANDER III. de casu, vbi, vt inquit, *vir quidam uxorem habens, sibi aliam huiusmodi rei in- sciam, copulauit: sed prima mortua nititur, discedere a se- cunda e)*. Vsque ad mortem prioris coniugis posterius matri-

matrimonium fuerat nullum & putatiuum. Iam vero de-  
cidic PONTIFEX nisi mulier diuortium petat, ad petitionem  
viri nou sunt aliquatenus separandi. Licet vero ille locus  
de matrimonio vna tantum ex parte putatiuo, statuat, ta-  
men, quin idem & in utrumque bona fide inito responsu-  
rus fuisset PONTIFEX, dubium non est, cum ratio deci-  
sionis inde petatur: *quod mulier fuerat inscia*. Si itaque  
uterque coniux inscius, eo magis fauebitur.

- a) STRAVCH Dissert. de Regula Catoniana.
- b) l. 29. ff. de R. I.
- c) Nou. 117. cap. ii.
- d) Argumento quoque erunt l. 27. de R. N. Lib. 6. C. de  
nupt. &c.
- e) c. i. X. de eo qui dux. in matrim.

### §. XXI.

*Matrimonium, quod sub initium fuit validum, eas*  
*ob caussas, quae tum illud reddidissent inane, si postea*  
*exoriantur, non sit nullum, adeoque non potest umquam*  
*succedente demum tempore matrimonium fieri putatiuum.*  
*Apud Romanos ius connubiorum ad iura ciuitatis Roma-*  
*nae pertinuit a), adeoque necessarium erat, vt, vbi his*  
*exueretur coniux, etiam ipsarum iustarum nuptiarum va-*  
*lor concideret. Maxima inde & media capitis diminutio*  
*vera connubiorum internecio. Duravit seruis iniqua con-*  
*ditio ad nouissima vsque tempora. Nihilominus tamen*  
*captiuitas bellica, licet olim solueret matrimonia b), vt ne*  
*ius postlimii quidem ea restauraret, iure nouissimo ad*  
*mentem quorumdam Iureconsultorum, qui iam olim reli-*  
*quis contradixerant c) connubiorum iura intacta relin-*  
*quit d). Cum peregrinis iura ciuium Romanorum com-*  
*muni-*

municauit **ANTONINVS CARACALLA** e). Vnde quoque ciuitatis amissio in se matrimonii exitium amplius non attulit. In Germania seruiliis conditionis homines, aequo ac extranei, non excluduntur a connubiorum iure, inde nulla, si qua datur, capitis deminutio coniugii iniuriam adfert, & lententis saltim, quibus omnibus iuribus in poemam atrocioris facinoris quis priuatur, illa clausula inseri solet: *machen eure Frau zur Wittwe, und eure Kinder zu Waysen.* Verum his casibus ipsum potius matrimonium tollitur, quam matrimonium in se tantum inualidum declaratur, ut adeo hic matrimonium putatiuum exoriri non possit. Ob alias caussas quae matrimonium ab initio nullum reddidissent, postea subsecutas, v. g. impotentiam, furorem ac dementiam &c. ipso iure inane factum non fuisse, e iure Romano colligi potest. Etenim ante annum ab V. C. quingentesimum nullum separationum casum existisse, primumque Sp. Caruillium Rugam ob sterilitatem vxorem a se dimisiisse, auctor est **GELLIVS** f). Continuata itaque coniunctio conniuentibus legibus, qualiscunque casus intercideret. Nec postea ab his moribus defecisse Romanos inuenio, licet, si vellent discedere coniuges, effusior inuecta diuortiorum licentia. Solum ius postlimii post recuperatam patris libertatem, patria potestate reuocata, matrimonii, a liberis interim valide sine ipsius consensu contractis, vitium attulit. Res Germanis ignota. Iuris canonici principia nullam admittunt accidentem constituto valide matrimonio inualiditatem, cum *sacramentum fidei, quod semel est admissum, numquam dissoluatur* g). Vnde nec deserta sanctior fides, nec infracta generandi potentia, nec aliud quidquam denique iusta diuortii causa, nedum matrimonium in se inane reddendi sufficiens ratio est. Idem tam serio tuerunt Doctores Euangelici, quamquam in concedendis diuortiis faciliores, ut, ipsi nullorum

matrimoniorum definitioni inserendum existiment, virium debere ab initio adesse b).

a) HEINECCI Synt. Ant. Rom. Append. L. 1. c. 1. §. 24.

b) l. 8. l. 12. §. 4. l. 14. §. 1. ff. de capt. & postim. reuers.

c) l. 6. ff. de diuort. l. 13. §. 7. ad L. Iul. de adult.

d) Nou. 22. c. 7. Nou. 117. c. 11.

e) l. 17. ff. de statu hom.

f) Noſt. Attic. IV. 3.

g) c. 7. X. de diuort.

b) E. g. STRYR. de diffensu sponsalit. Sect. 5. §. 1. matrimonium nullum dicit, quod statim ab initio non subsistit.

### §. XXII.

*Non modo matrimonium in se inutile, quod bonae fidei auspicia habuit, sive ab initio putatiuum fuit, potest conuerti in matrimonium simpliciter cassum, sed & deficiens ab initio bona fides potest post aliquod tempus accedere, siveque matrimonium, ab initio non putatiuum, potest in putatiuum mutari.* Pone enim e. g. utrumque coniugem, cum in matrimonium coirent, non ignorasse, bigamiam contrahi, siveque sub initium utriusque bonam fidem defuisse. Post aliquod tempus fide dignis auctoribus documentisue adfertur fama, priorem coningem in viuis nunc esse defuisse. Si tum id accidat, ut & hi nuncii falsi sint: nonne istud matrimonium nihilominus nunc putatiuum dixeris? Bonae fidei in malam commutatione nihil facilius. Adforet eiusmodi conuersio e. g. si coniuges post longum temporis interuallum demum incestas inter se nuptias esse resciscerent, aut vxor plenam viri impotentiam, diu rei ignara, cognouisset &c. pristinam tamen confuetudinem uterque prona voluntate continuaret.

### §. XXIII.

§. XXIII.

*Si matrimonium contra leges contractum reperiatur, an mala, an vero bona fides praesumi debeat, quaeri solet. Prius verius videtur. Plerumque contrarium tuentur Doctores, ea induiti ratione, quod quilibet praesumatur bonus, inde & bona fides praesumenda sit. Sed qui ex ista regula hic ratiocinantur, veram eius sententiam non videntur tenere. Applicanda et omnino casibus, vbi non constat, an quidquam legibus contrarium ab aliquo admissum sit. Ibi cum admissum esse factum illicitum, ad ea, quae facti sunt, pertineat, probandum hoc omnino, & pro bona fide non potest non militare praesumtio. Inde si homicidii quis arguitur, perpetrata esse ab eo caedes, prius non creditur, quam luculentissima id prodant argumenta. Verum caede probata, praesumetne iudex, eam absque dolo malo commissam, culpam tantum adesse, aut moderamen inculpatae tutelae violentam defensionem postulasse? Nemo id contendet, sed nobiscum in eo conspirabit, haec, cum ad exceptions homicidae, pertineant, ab eo esse probanda. Patet inde, ad eos casus, vbi factum legibus aduersum vere editum esse constat, regulam illam non pertinere. Volunt id quoque iuris rationes. De internis non iudicant l ureconsulti, sed interna ex externis colligunt. Inde cum nihil rationi conuenientius, quam quemque id committere voluisse, quod commisiit, l ureconsulti merito concludunt, legibus verita committere voluisse eum, qui legibus vetita edidit. Contrarium adserens, allegat exceptionem a regula, per omnia iuris principia ab allegante probandam. Non obstat itaque regula ab aduersariis excitata, ideoque in dubio matrimonium, quod in se nullum est, pro putatio non habendum.*

S. D. G.

F 2

VIRO

V I R O

P R A E N O B I L I S S I M O

D O C T I S S I M O D N . C A N D I D A T O

S. P. D.

P R A E S E S.

**P**ulchrum est & genio saeculi accommodatum, consilii abundare, etiam si in re ipsa & factis parum audeas. Inde iam pridem in consuetudinem abiit, ut nonnulli, qui ipsi aut parum, aut nihil scribunt, longos tamen librorum, qui ab aliis scribi adhuc possent, indices referant, imo non nomina solum eorum allegant, verum & ipsius materiae digerendae ordinem, & doceant, & imperent. Imitemur commendabilia ista exempla. Videtur mihi male neglectum esse haecenus graue & explicatus dignissimum argumentum, scilicet de fide testimoniorum academicorum tractatio. Vellem itaque, ut optaret sibi quisquam utilissimum hoc practicas literisprudentiae caput. In membra quaedam diuidenda erit dissertatio. Primum doctrinarum copia maxime exuberato. Agitor hic de fide, eiusque Etymologia, que a Graeco φιλέσια, aut aliunde de promenda, Synonymia, vbi dicendum, quod auctoritas, valor &c. idem significent, & Homonimia, vbi in primis monendum, NEPO-

TEM

TEM plane alio sensu voce usum esse, cum dixerit: fidibus canere  
 eodem denique membro de fide theologica, iuridica, medica & philosophica multis verbis differitur. Secundum originem & fata testimoniorum academicorum persequitur, ibique non inconcinnus de origine academia-  
 rum pauca quaedam intermiscentur. Hoc in membro, an non eo tem-  
 pore solitissima fuerint testimonia academicæ, cum monetarum maxima est  
 frequentia? problema esto. Tertium ad ipsam testimoniorum academico-  
 rum fidem progreditur. Distinguenda hic erunt tempora & docendum,  
 ab initio haec testimonia plene probas, postea non nisi ex dimidia parte,  
 seu, quod dicunt, semi-plene, nouissimis denique temporis eadem tan-  
 tum inter administrantia, que vocant, relata fuisse. Commontran-  
 dum autem erit, non ipsam testimoniorum indolem hanc iniuriam  
 meruisse, verum difficultatem in dies hominum in credendo morositatem  
 in causa fuisse, quam & aliis in rebus non immerito accusamus.  
Quartum divisiones testimoniorum academicorum complectitur. Non in-  
 commode hic distinguetur inter testimonia quae sponte, seu, quod  
 dicunt, proprio motu & ea, quae ob crebras efflagitationes, seu quod  
 nuneupant, ad instantiam tribuuntur. Posteriora, ratione modi conce-  
 dendii, vel exhibentur ad preces nudas, vel ad preces, quibus aliud  
 adhuc quidpiam pondus addit, seu qualificatas; ratione temporis vero,  
 quo praebentur, vel conceduntur ex academia aliorum migraturis, &  
 ex scripta quadam & chartacea lande commendationem potentibus, vel  
 remanentibus, sed domi apud suos male forsitan audientibus, quibus fama  
 reparanda est, & infesti rumores in patriam allati dissipandi; aut patris  
 animum & crumenam, subita iniecta laetitia, felicitaturis. Quorumvis  
 horum testimoniorum integritas solidissimis argumentis euincenda est;  
 mallem tamen, tum quando ad testimonia ad instantiam concessa deueni-  
 tur, e rationibus altius repetitis, seu a priori, quam excitatis experien-  
 tia & usu communi, s. a posteriori, demonstrationes fieri. In iis, quae  
 sponte dantur, demonstrationis, ut facillimae, penes quemvis arbitrium

eto. Solet hodieque iis, quae *proprio motu* perhibentur, testimonii major vulgo, quam reliquis, fides tribui. Quapropter indagandum erit hac occasione, an non ad pristinam auctoritatem omnibus cuiuscunq; generis testimoniis restaurandam inter cautelas eiusmodi documenti referri mereatur clausula: *proprio motu*, vbius interferenda, etiam maxime per *precer qualificatas* obtentum sit testimonium. *Quintum* illam agitat questionem: an testimonium academicum sit res in *commercio posita?* Haec, si fieri potest, nota neganda est & perneganda, concuplicatis aduersiorum argumentis, vbi nec diris parendum est, si, omni natata opera, sapere nolunt dissidentes. *Sextum* formulas & solennia, in petendis testimoniis adhibenda, continet, vbi non abs re foret, inuestigare, an non conducet hic antiqua illa *per dies & libram* petendi solennitas. Adiiciendas quoque ipsorum testimoniorum nonnullae conceptiones, quae solennitatibus in petendo adhibitis semper exacte erunt attemperandae. Haec sunt fere, quae opusculo comprehendi possent. Sed quid haec ad **T E**, DOCTISSIME DOMINE CANDIDATE? Scilicet eo spectant omnia, vt, cum **T V M** liberale ingenium, & in optimarum artium studio adsiduam diligentiam testimonio aliquo meo comprobandam existimarem, quale illud sit, omnibus pateat. Sincerrimae enim sunt istae laudes, quae publicis eiusmodi speciminibus, quale hoc est, subiiciuntur. Sponte conceduntur, cum numquam eas expeti inter omnes confit; verae ac feriae sunt, cum ipsa, qua scribuntur, occasio dista confirmet, & spectata in cathedra solertia omnem dubitationem eximat. Haec laus in **T E**, VIR FRAENOSILISSIME, eo illustrior est, quo brevius est temporis spatium, per quod inter nostrates versatus es. Biennum vix excessisti, & iam id aedes, ad quod veteranis haud raro animus deest. Nec id mirum, cum Summis. Qui Fridricianam nostram illustrant, in Iuris scientia Viris, indefessam quotidie operam dederis. Evidem in adserenda **T V** dexteritate eo locupletior testis debo videri, cum exercitationibus istis disputationis, quibus per hoc semestre

mestre in vsum Suauissimorum Commilitonum vacui, sedulo interfueris, eo prouectus subito virium, vt ego te inter praecipuos in hoc puluere athletas merito numerarem. Gratulor itaque mihi COMMILITONEM DIGNISSIMVM, ad hos meos praeceps temporis conatus, & imminente femeſtri aestiuo iterum inchoandos, sva dexteritate commendandos apprime comparatum. Gratulor vero praecipue TVIS maximae ſpeſ IVVENEM, TEQUE, vt in iis, quae ingressus es, stadiis decurrere pergas, etiam atque etiam hortor. Gratias habeo pro ea, qua me haſtenus amplexus es, benivolentia, camque vt in posterum etiam mihi integrum & illibatam ferues, oro, & obſecro. Vale. Dabam  
Hale Magdeburgicae, d. X. April. MDCCLVIII.



magis in den zweyten Chorallien der Arie „Siehe hier“  
in den zweyten Strophen ein und ist die 19. Strophe des  
Liedes „Wer ist Gott in Israel“ nicht mehr mit dem  
Ton der Praeludiums, da noch nach wie im Chorale von  
den anderen beiden Strophen noch eine Praeludiums-  
melodie eingeschoben ist. Gleichwohl wird die 19. Strophe  
noch mit einer Praeludiums-melodie gespielt, was deutlich  
aus dem Taktzähler „17“ zu erkennen ist. Diese 17  
Takte bestehen aus 16 Taktzeichen, die durch einen  
extra Taktzeichen abgetrennt sind. Gleichzeitig werden  
die 17 Takte in 17 Taktgruppen unterteilt, die  
jedoch jeweils nur 1 Taktzeichen umfassen. Alle 17  
Takte sind auf einer Seite des Liedes angeordnet.

Hier die Auskopplung der 19. Strophe MDCCXVII





**ULB Halle**

002 187 531

3



5b





DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IVRIDICA 23  
DE 1758  
116  
**VERIS CASIBVS  
MATRIMONII PVTATIVI,**  
  
QVAM  
PRAE SIDE  
VIRO CONSULTISSIMO,  
**ERNESTO CHRIST. WESTPHAL.**  
IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE,  
PATRONO ET PRAECEPTORE SVO  
PIE COLEND<sup>O</sup>,  
DIE XIX. APRILIS MDCCCLVIII.  
PVBLICE DEFENDET  
**IO. RVDOLPHVS LVDOVICVS PVRGOLD**  
PARCHEMIO — MAGDEBURGICVS.



IV.

HALAE AD SALAM  
LITTERIS IO. CHRIST. HENDELIL.

